



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Juris Canonici A. R.P. Paulo Laymanno Societatis Jesu Theologo SS.
Canonum In Alma, Catholica, Et Episcopali Universitate Dilingana
Professore Qvondam Ordinario, Prælectionibus Academicis Illustrati

Laymann, Paul

Dilingæ, 1673

Capitvlvm IV. Imperatorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62587](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62587)

SYMMARIUM.

1. Syndicus generaliter constitutus ipse jurat in iudicio de calumnia in animam suam, sicut & alij habentes legitimam administrationem.
2. Nisi minor v. g. habeat personam standi in iudicio,
3. Vel nisi eiusmodi Syndicus & Administrator non sit satis instructus in causa.
4. Principalis orari potest ad jurandum de calumnia, si melius novit justitiam causæ, quam Administrator; & ad jurandum tantum de veritate dicenda, si melius novit, ea quæ sunt facti.
5. Prælatus debet jurare in animam conventus, quando solus non potest præiudicare Ecclesie.
6. Principalis non habens personam standi in iudicio, etsi justitiam causæ melius novit, non tamen vocatur ad jurandum de veritate, nisi etiam melius novit, quæ sunt facti.

Nota I. Syndicus Ecclesiæ, & cuiusque Vniuersitatis, si generaliter ad quaslibet causas constitutus sit, agens in iudicio nomine Vniuersitatis, ipsemet jurat de calumnia, ita habetur in *Authent. Principales. h. t. §. Quomodo observari.* Vbi idem dicitur de omnibus legitimam administrationem habentibus, seu à lege, seu à iudice concessam, quales sunt tutor, curator Orphanorum, aut hospitalis præfectus, Pater in bonis adventitiis filij familias, eoque casu necesse non est, ut persona principalis juret, ut colligitur ex *cit. Authent. & ex communi docet Dur. in speculo h. t. §. Restat. n. 2.*

Excipi debet 1. Si Minor personam standi in iudicio habeat, v. g. in causis spiritualibus. Item filius familias in causis Castrensibus, tum ipsimet per se, vel per Procuratorem in animam jurare suam de Calumnia debent; uti notavit *Bart. in cit. §. n. 16. & 17.*

Excipi debet 2. Si Syndicus, Curator, aliusve Administrator, causæ statim satis cognitum non habeat, tunc admitti non debet ad litis contestationem, multò minùs ad juramentum calumniæ, priusquam instructus sit, idque observandum esse monet hinc *In-*

nocentius, & Panorm. n. 2. contra eos qui mittunt Syndicos aut Procuratores in iudicium non instructos in causa, adiunguntque, adversario expensas restituendas esse, si idcirco majores facere debuit. His adde, si persona Principalis causam melius novisse censeatur, quàm Syndicus, vel Administrator; tum distinguendum est, num justitiam causæ melius novit, & insuper in iudicio stare possit, tunc vocari potest, ut de Calumnia juret, v. g. Prælatus Monasterij, si in causa gravi coram iudice Ecclesiastico litigat. *Arg. l. vlt. C. de Procurator. Videatur Dur. in cit. §. Restat. num. 2.* an verò justitiam causæ non satis cognovisse videatur, sed tantum ea quæ facti sunt, melius novisse, ut persona indisereta, minor, prodigus; tum à iudice vocari potest, ut juramentum de veritate præstet antequam ad positiones & iudicis interrogationes respondeat; uti docet *Bart. n. 10. Panorm. in cap. penult. n. 11. h. t. Io. Andr. inc. 3. in fin. h. t. in 6.* Idemque dicendum est, si causæ justitiam cognitam habeat, sed non multo melius, quàm Syndicus, quippe in quo nullus defectus apparet, tunc si quæ facti sunt melius cognoscat Abbas, vocari potest ad præstandum juramentum de veritate dicenda, uti docet *Dur. loco cit. Argum. l. Municipales. 14. ff. ad Municipalem,* vbi dicitur, quòd tales Prælati Communitatis plerumque melius sciant veritatem. Adde huc *c. 2. De testibus in 6.* Vbi dicitur, quòd Prælatus etiam jurare cogendus sit in animam conventus, aut maioris partis, si nimirum talis causa sit, ut solus agendo præiudicare Ecclesiæ non possit, uti *gl. ibidem monet. Not. 2.*

Denique, & si justitiam causæ melius novisse censeatur Principalis, quàm Administrator, si tamen personam standi in iudicio non habeat, v. g. filius familias, adultus vocari non potest, nisi ut juret de veritate, si in facto melius instructus sit, uti docet *Bartol. cit. loco.*

CAPITVLVM IV.

Imperatorum.

PARAPHRASIS.

Cùm intellexisset Eugenius Papa quòd ab

p 2

Ab-

bate & Fratribus Clareuallis juramentum Calumniæ sicuti ab aliis in iudicio contententibus exigeretur, Respondit: Ad id eos secundum Imperiales & Canonicas sanctiones cogi non oportere, verumtamen ne ob id, quod jurare nolunt, ipsi aliena jura illicitè detinere videantur, vel ne tanquam causam iniquam foueant, à iudice pro confessis habeantur & condemnentur; præcipit Pontifex, vt in Monasterio ipsorum idoneus Syndicus constituatur, qui pro iuribus in iudicio agat ac defendat, & cum necesse erit, de Calumnia juret.

SUMMARIUM.

1. Abbas, uti & Conuentus potest juramentum Calumnia præstare per Syndicum in animam suam jurantem. Imò & per se,
2. Et per Procuratorem specialem jurantem in animam Abbatis vel Conuentus. Idem est de aliis Vniuersitatibus & Collegiis.
3. Decens tamen est, vt Prælati propterea constituant Syndicum, possuntque etiam ad hoc cogi.

NOTA I. Abbas & Conuentus cogi non possunt, vt ipsimet in iudicio jurent de Calumnia, sed possunt mittere Syndicum, qui in animam suam juret, modò idoneus sit, & causæ statum perspectum habeat. Verumtamen non prohibetur Prælati ipsemet jurare, si videlicet in iudicio personaliter compareat, vel Procuratorem seu Actorem specialem mittat, is enim in animam Prælati jurabit, quin & in animas conuentus aut maioris seu principioris partis, si talis causa sit (videlicet ardua aut præiudicialis conuentui) quam Prælati solus, seu sine Conuentu agere aut defendere non possit, sed debet Actor seu Procurator specialis, habere mandatum speciale de iuramento in animas alienas, vt infra patebit, & quod dictum est de Monasterio, intelligi etiam debet de aliis Vniuersitatibus aut Collegiis, si Syndicum seu Actorem generalem habeant, quod eius jura-

mentum in propriam animam sufficiat, sin autem non habeant, tum principiores vniuersitatis. v. g. Consul & Senatores per se vel per Procuratorem specialem jurare debent in proprias animas. Videatur *Panorm. n. 5.* Et propter hoc ipsum vitandum incommodum, ne videlicet multi jurare cogantur, cuiusdam priuilegij loco concessum vniuersitatibus, vt Syndici in iudicio agentis iuramentum sufficiat; quare valde decet, vt Prælati Ecclesiarum præsertim Regularium Syndicum habeant, atque ad hunc constituendum, si facultates suppetant, & non raro litigare debeant, etiam cogi possunt à Superioribus. *Cap. vnic. de Syndico.*

CAPITVLVM V.

Cæterum.

PARAPHRASIS.

Si Clerici coram iudice suo Ecclesiastico litigent, compelli debent ad iuramentum propter calumniam vtrinque præstandum, non obstante contrariâ consuetudine.

SUMMARIUM.

1. Actor & Reus tenentur præstare iuramentum Calumnia.
2. Id vt omittatur, an & quomodo consuetudine introduci possit.

NOTA I. Non tantum Actor de Calumnia jurare debet, sed etiam Reus, prius autem ille, qui ad litem prouocauit.

NOTA II. Consuetudo, vt partes de Calumnia non jurent, non potest prævalere aduersus legem, quod intellige, si occasione talis consuetudinis appareat veritatem occultari, & viam calumniis patere, esset enim irrationabilis consuetudo, & bonis moribus repugnans, sin autem ob hominum alicuius Regionis probitatem & fidelitatem simplex, non calum-